

at omnis causa libera antecedit effectum suum ordine temporis, sive durationis, actio enim ista supponit deliberationem intellectus. Ad hoc Resp. (1) repetenda est ad majorem modò data responsio ad 2. argumentum. (2) Vorstius seipsum proprio jugulat gladio, quia pag. 66. sic scribit: Certum est decretum Dei de omnibus rebus ad suum finem ordinandis deque bonis efficiendis, malis autem permittendis, jam inde ab æterno factum esse, idemque in æternum permanere. Et hoc sensu, nec originem ullam habere, nec finem unquam invenire.

§. XXXI. (3) *Deus non mutatur, quoad locum*, quia est ubique, ac omnibus in rebus. Hanc assertionem non tantum comprobatur Scriptura, sed & sana ratio. Præmittimus verò, quod tribus modis aliquid alicubi possit dici. (1) per essentiam. (2) per potentiam. (3) per scientiam. Quod Deus per essentiam suam sit ubique probò h. m. Quodcunque ens est independens illud non potest habere finitam essentiam. Atqui Deus est ens independens. E. Deus non potest habere finitam essentiam. Minor probatur: quia Deus est Spiritus simpliciter independens, quique non habeat esse ullo modo ab alio receptum vel communicatum. Minor probatur, quia ens independens nec ab alio potest finiri, quia involvit repugnantiam, aliquid esse independens ab alio, & tamen ab alio finiri & terminari, quod est esse dependens. Nec potest finiri à se, quia vel finiretur libere vel necessariò; Si hoc, sequitur Deum agere ex necessitate naturæ, quod absurdum. Si illud, tunc contra inclinationem naturæ intelligentis, appeteret suam imperfectionem, quia essentia finibus carens in infinitum perfectior est habente finibus.

§. XXXII. Quod Deus per essentiam non possit esse ubique seu omniprensens, affirmare rursus non erubuit
sæpè